



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. De effectibus litis contestationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

rum talium plurimus usus est. In quorum locum, si per viam inquisitionis ex officio à Iudice procedatur, certa quaedam Capitula proponuntur, super quibus suspectus est reus, & infamatus, ut ad ea respondeat.

Distinguantur autem positiones istæ & articuli à litis contestatione, quòd in his articulis & positionibus nihil à Reo petatur, sicuti in litis contestatione & libello: & quamvis etiam à Iudice interrogationes fieri possent, ab his tamen positiones & articuli differunt, quòd positiones tales ab actore assertivè fiant, interrogatio v. g. à Iudice interrogativè.

§. III.

An, & quomodo per oppositam exceptionem inducatur, vel impediatur litis contestatio?

Quòd per exceptionem dilatoriam, quæ Iudex tanquam incompetens recusatur, aut quæ actori opponitur, quòd non possit stare in iudicio, litis contestatio non inducatur, certum est, quia tales exceptiones non animo litigandi, sed potius animo licem declinandis opponuntur: sed neque per oppositionem exceptionis peremptoriæ inducitur litis contestatio, prout expressè deciditur in *l. Si oblato 2. h. t. in 6.* Cùm in tali casu, qui taliter excipit, non respondeat ad actoris petitionem, cùm tamen litis contestatio per talem responsum fieri de-

beat. Negari tamen non potest, quòd per exceptiones dilatorias impediatur quidem, & retardetur litis contestatio, nisi per non oppositas illas ante litis contestationem, videatur his pars litigans renuntiare, aut Iudicis jurisdictionem in se prorogare, per exceptionem tamen peremptoriam ante litis contestationem objectam, non impeditur litis contestatio, nisi de re iudicata, aut lite finita reus excipiat, *c. Exception. 1. h. t. in 6.* vel de juramento à parte parti delato, aut factam legitimam inter partes transactionem.

§. IV.

De effectibus litis contestationis.

Plures sunt illius effectus. Primò Penim per litis contestationem partes litigantes ex mutuo consensu ad hanc instantiam iudicii obligantur, ut neutra pars alteram invitam à iudicio recedere possit. Secundò, Iudex recusari non potest post litis contestationem, nisi ex nova suspicionis causa superveniente. Tertio, non possunt amplius post litis contestationem opponi exceptiones fori declinatoriæ, aut similes dilatoriæ, quibus renuntiatum videtur. Quarto interruptitur per litis contestationem præscriptio longi temporis. Quintò, revocari non potest post litis contestationem Procurator, nec libellus mutari, &c. Vide plura apud *Auct. Method. hic ex jure Civili petita.*

